



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXCII. De Zachæo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

cacia ad obtinendum Lumen oculi mentalis : istud  
 verò efficiet, ut sequaris Christum, ejus Vestigijs con-  
 stanter inhæreas, DEVM magnifices; & ut homines,  
 hoc videntes, dent Laudem DEO, quam etiam ipsi  
 soli relinques, nihil tibi ex illa decerpens.

MEDITATIO CCCXCII.

De Zachæo.

Luc. 19. v. 1.

PUNCTUM I. Et ingressus perambulabat Iericho. Et  
 ecce vir, nomine Zachæus: & hic Princeps erat Publi-  
 canorum. (Exactores hi erant vectigalium, à Roma-  
 nis & à Tiberio Cæsare Judæis impositorum) & ipse  
 dives: & quærebat videre IESVM, quoniam esset: & non pote-  
 rat præ turba, quia staturâ pusillus erat. Sicut Zachæus  
 non obstantibus publicis officij inquieti negotijs, ac  
 divitiarum augendarum, conservandarumque soli-  
 tudinibus, quærebat videre IESVM; sic non obstan-  
 tibus Vitæ Activæ curis, semper conservandum est de-  
 siderium & studium Vitæ Contemplativæ, quâ ad  
 DEVM attollamur: & ne turba cogitationum, & fun-  
 ctionum circumstantium, nobis in Perfectione pu-  
 sillis, mentis visum impediatur, Zachæus imitandus est,  
 qui præcurrens ascendit in arborem Sycomorum (gignen-  
 tem fructus similes Ficui, & folia similia Mori folijs)  
 præcurrendum scilicet est & ascendendum ad Oratio-  
 nem, & ad locum opportunum Orationis, quæ pia-  
 rum Affectionum, veluti fructuum dulcedine, & sa-  
 pientium Propositorum, veluti Mori minimè fatuæ  
 folijs Sycomorum refert: Sic enim supra terrenarum

Bb 2

cogi



cogitationum turbam prius elevati, sine earum subsequen-  
 sequentium obstaculo DEVM è sublimi videbimus; inde in nosmet ipsos per Humilem nostrum ipsorum Cognitionem descendentes, digni erimus, qui DEVM Christum Dominum animi hospitio recipiamus, nobiscum detinere possimus, illud Christi imperium exequentes v. 5. *Zachae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.*

PUNCT. II. *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* v. 6. His verbis in sensu morali cordis alacritas per festinationem; Contritio, & Humiliatio & per descensum designatur; ac inde consequens quies ex subita mutatione animi, & DEI per Gratiam receptione orta. Sic etiam tu festinans descende, & excipe illum gaudens. In eo excipiendo autem Zachæum etiam imitare, qui prius vidit Christum DEVM. *Quis esset*, quem ipse peccatis suis offenderat: Mo- festinans descendit, in se, & in animi sui latebras, dicitque, quis ipse esset; ac peccatorem agnoscens, humili ac contrito corde Gratiam, & Salutem animi accepit: atque sic Salus Domui huic facta est.

PUNCT. III. *Et cum viderent omnes, murrurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset.* v. 7. Hæc verba in contemptum, ac vilipensionem Zachæi dicta fuerant. Ille verò Humilium more, inde magis se humiliavit, & se quoque peccatorem profitens, *Stans dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Sed Christus Zachæi estimationi consulens, eumque jam Justificatum pronuncians, inquit: *Hodie Salus Domui huic facta est, est, Domino domus, Salus Animæ) eò quod & ipse*



lius sit *Abrahæ* : Saltem imitatione Fidei, Justitiæ, & Sanctitatis *Abrahæ*; & Generatione Spirituali ex Christo, Filio *Abrahæ*, per Gratiam regeneratus. Hoc modo & tu esto Filius *Abrahæ*, ut merearis recipi in sinum *Abrahæ*, implens prius illud Christi Monitum, *si Filij Abrahæ estis, Opera Abrahæ facite.* Joan. 8. v. 39. Vide etiam, quantum honorem & laudem pro vituperio humiliter tolerato *Zachæus* receperit? Itaque sine alios de te sentire, quidquid velint: modò coram DEO Justus sis. Tu DEO tuam defensionem relinque. Præterea observa, si *Salus* facta est domui, id est, degenti in domo, ubi Christus solùm una die divertit; quantò magis degentibus in Templo *Salus* sit impertienda, ubi DEVS velut in Domo Orationis stabiliter residet ad exaudiendas preces illuc adventantium? *Salus* autem, quæ facta est, consistebat, & consistere debet in emendatione vitæ, & satisfactione.

## MEDITATIO CCCXCIII.

*De Servis decem Mnas accipientibus.*

LUC. 19. V. 11.

PUNCTUM I. *Hac illis audientibus* (quæ scilicet responderat Christus murmurantibus, quòd ad *Zachæum* peccatorem divertisset) *adiiciens, dixit Parabolam* (quam deinde paulò ante Mortem, paucis verbis mutatis, repetijt Matth. 25. v. 14. ubi pro *Mna* ponit *Talentum*, quorum unum continet Sexaginta *Mnas* apud *Hebræos*) *eò quòd esset prope Ierusalem* (quia nimirum ibi brevè passurus erat, & *Judaicus Populus*